

Molano informatum esse? Feci Catharine periculum. Nihil est difficilius, quam sic augere
 ingenia iuvenum scientia, ut non simul inflentur & insolent, arroganter de sese ipsis sentientes.
 Respondit olim ex illa celebritate vir gravissimus. Dignus erat adolescens Molani commendatione,
 nisi flaret inanes glorias. Ab eo tempore metui semper (quod nunc accidit) ne viviparum commende-
 clatorem faba cederetur. Quid facerem? Selector bonis ingenijs & proueho ea quod possum,
 tamen interdum Incutiunt aliena mihi peccata pudorem. Crede mihi vir humanissime: Quod
 ille parum honorifice de me loquitur, id minus me sollicitat: quam quod illis praestantissimis viris
 quibus à me commendatus est, sese ipse non probauit: Magni sunt patroni, qui multos Scholae
 nostrae alumnos aliene opis indigos meo rogatu, his annis duodecem, benignissime amplexi sunt,
 & fouerunt. Amo itaque illos & veneror non aliter: ac patres. Quo magis odiosa est eorum
 superbia, qui beneficijs affecti non dant operam, ut memores gratijs inueniantur. Tuum carmen
 in manibus habeo, Lego, & iterum lego. Est quidam in te sacer afflatus, quem Enthusiasmum
 vocant, qui si maturecat, & per aetatem limatior fiat: emerges Catharine cum Deo, ad laudem
 & celebritatem. Cognosco ex Epistola tua nonos tibi titulos accessisse, quo nomine tibi gratulor ex
 animo, & Deo gratias ago. Neq; minorem hanc dignitatem censeo: quam si J. V. Doctor factus
 esses. Apparet tuos versus legenti, semper te cum arduis, asperisq; difficultatibus conflictatum
 esse. Mach virtute esto subinde ad Deum suspiciens. Iam prope inuictissima quaeque obsta-
 cula transcendisti: Id sane nisi illo & innocato, & praesente efficere nunquam potuisses.
 Quare gaude tuo isto tuo tam excellenti bono: sed memineris omnia haec bona, quae verè nostra
 sunt ab illo Patre luminum profecta esse. Oterstedij ingenium vides. Is eadem Cui opinor
 via ingreditur, quae tibi proposita fuit ab adolescentia. At non omnib; noctua volat. Non
 dixit tamen ejus studij successus: si persisteret doctusq; doctusq; ad hunc perveniret. Commenda-
 ram eum nuper magnis illis patronis, quos paulo ante descripsi: & iusserat Senatus Ecclesiae
 Heidelbergicae bona juvenem spe, bonisq; auspicijs ad se illuc ire, in quo si mihi parvisset: jam pri-
 dem illuc. honesto spectabilisq; loco esset. Sed regit haec omnia Dei providentia, quae istius
 quoque adolescentis peracres conatus sua benedictione prosperabit. Fuit isthic superiorib; diebus.
 Bonae ventura Vulcanius, familiaris meus, vir Graecè Latinèq; doctissimus. quem fama fuit
 ab Hispano quodam nescio quid contumelia passum esse. Ubi sit? quid agat? Velim fieri certior.
 Eius pater olim multis beneficijs me suum fecit. Quamobrem cupiam vel ejus Liberis, si qua possint
 aliquam gratiam referre. Tuus pater honestus vir nuper huc ad me venit sciscitatum. Equid
 de suo Winando vel per Litteras, vel fando intellexissem? Patruus quoq; tuus Dn. Bruno Reimers
 Senator letatur tuo isto successu, & salutem tibi adscribi jubet. Ego denique fausta precor
 crescenti Poeta, cujus gloriam mihi persuadeo aliqua etiam ex parte ad Scholam nostram pertinere.

Vale. [12. Calend. Maii 1576]

Pax CHRISTI.

Am. 265
 a. b. f. m. i.
 g. i. m. i.
 d. o. r. i.

Valeamus etiam nunc Jeremia suavissime omnes mecum familiares, tam plenis periculi & gravium
 morborum temporib; Deus nos singulari bonitate leos & incolumes conservavit. Is rexit hactenus
 nostras actiones, & consilia, ei sit honos & gloria. Cornelii mei obit; me graviter afflixit, minus nunc
 animi est mihi, & nescio quo modo id fit, illa spiritus alacritas, qua maxime sustentabar, remittit se
 paulatim,

[= Nov. 9. 12.]

Am. 254]

paulatim, & ad languorem inclinat. Si is tunc mihi, nisi me ipse exstimulem, non queam
 agendis rebus superesse. Usque adeo omnia fert aetas, ut olim ingeniosissimus Poeta dixit. In
 Scholis retineamus eandem diligentiae mediocritatem, non illam quidem contentiosam, sed constantem
 tamen, & accommodatam praesenti Juventuti. Quatuor habeo eximios auditores Homeri,
 Demosthenis, Ciceronis, qui perelegans carmen scribunt, & erudite declamant, apud suos aemulos, quibus
 standum incensus est animus cupiditate audiendi perfectiores Magistros, si quo se tandem vertant,
 cogitare possent. In Scholis Saxonici barbaries fere liberalium disciplinarum progressus evertit: isthic
 apud vos tanta est omnium rerum caritas: ut ipsi Satraparum filij tantos sumptus sufferre queant.
 Commendam nuper Mylio meo Johannem Gruningum, sed timide, verebar enim, ne quid contu-
 gionis ex aulica consuetudine contraxisset. Is in familiam Doctoris Petri Alstani primum adscriptus
 fuit. Miror cur ab illo tanti nominis viro sese disjunxerit. Perquam mihi charus est Gruningus ille.
 Discessit a meo. Latere, non satis maturis studiis puerilibus, & haesit in aula diutius fortasse quam
 expediebat ejus aetati. Valde velim pro nostra veteri familiaritate te querere quid agat, qua spe
 isthic rem, tempusq; terat, tum etiam quomodo vitam instituat. Hac ego non percontarer: nisi
 magnopere mea interesset. Jacobum Barlaam vix credo Heidelbergae esse. Siquidem his annis duobus
 proximis nihil ab eo litterarum accepi. Scribe ubi sit Adrianus Vanonius quem Geneva frequentem
 in Bezae lectionibus conspexisse te, nuper commemorasti. Ille quoque caedie aliquo affectus praeter
 casam hinc, cum bona quidem gratia: sed nondum satis exultu discessit. Tu quantum ex tuis
 postremis cognovi, omnes aequales tuos, albis quod dicitur equis praecurrendo superasti. Nec
 calamis tantum exsuperas: sed voce Magistrum. Equidem tibi hunc successum ex animo gratulor.
 Et quamvis puerile es, quicquid a nobis accipere potuisti: semper tamen mihi persuasi tuorum
 studiorum ingenijq; tui laudem non nihil etiam ad Bremensium Scholae commendationem perti-
 nere. Mylium velim magni facias, sincerus vir est, qui jam annis multis Dominum anxie
 quaesivit, & pie coluit. Quo nomine cum imprimis vera benevolentiam complector. Quod queritur
 PLAVVS. Suam aetatem non multum fidei gerere: Idem in media Christianorum cele-
 britate jure queri posse germana fidei, integritatis, constantiae, per magnam nobis penuriam
 esse. Non sum difficilis, & querulus: quae senum vulgaria sunt vitia: sed tamen reticere neque,
 Non tam aetate aut morbo: quam sociorum perfidia, contemni, & evanescere hoc quantumcunque
 est aevum meum. Missa haec faciam, quia vulneratur animus, vel sola talium miseriarum cogi-
 tatione. De statu & scopo studiorum tuorum velim me certiores facias, deq; rebus tuis omnibus
 breviter ad me scribas. Mea conjux benignissime te salutat, parentum tuorum obitum mecum
 defleuit. Ex ea tres mihi Dominus liberos dedit, qui vivunt ac valent. Nam duos alij, qui
 antecesserant, defuncti sunt (ut opinor) antequam Academiam cogitares. Maxima nata est Rachel
 filia, huic proximus Filius Johannes Molanus, tertie nuper inditum est in Baptismo nomen
 Alethea. His ego & Scholasticos labores, & vitae tedium leno. Benedictus sit Rex & Pater Domini
 nostri Jesu Christi, qui implevit os meum bonis ab adolescentia. postquam excussus sum Patria.

Vixi

Vixi Peregrinus Mechlinia, Pesti, Quisburgi, Brema. Semper eius benignitas me prosequitur: eundemq; tenorem ad exitum usq; vite meae servabit. Amen, fiat, vale. Tui studiosissimus Johannes Molanus senior.

Bremae 25 aug. [1546]

Ma. 266.]

Pax Christi.

57 —

D. Joh. Peropportune mi frater, id quod cogitatum^{vam}, usu venit, quem virum sors insperantibus obtulerat: (frequenter enim divinitus, & sortes) ut enim^{etiam} primo congressu praeteritum, postea melioribus freti consilijs, isthuc unde amissus erat, fuerat, reuocaretis. Nempè summa ingenia (ut ait Comicus) saepe in occulto latent. Cui etiam vester intentissimus animus, tum agendis rebus magnis, tum gravissimis conflictationibus perferendis, sic obtunditur quotidie: ut omnibus qui modo aliqua suffulti commendatione isthuc eunt, prolixè operam dare nequeant.

[Macer-

a. 12:

Ma. 255.]

Intellexit Erasmus ipse atq; hui renuntiavit, nullam vobis isthuc respirationem, nullum unquam otium esse. Sed considerate obsecro quam prudenter (ne dicam callide) hoc effecerit, omnium efficitrix providentia. Ostendit modo hunc virum oculis vestris, sic tamen ut cognosceretis eruditum praeter ceteros, ac singulari quadam modestia praeditum esse. Neque eundem, nemine retinente, velut alio ablegatura vobis subduxit. Scilicet ut majore cum desiderio, & sine omni suspitione ambitionis, reuocaretur. Neq; igitur quia se vobis ultro nuper obtulit, neq; quia eum Molanus commendavit (siquidem reuocatus redierit, quod spero confido) sed quia rebus vestris accommodatissimus est, intelligetis eum quasi è caelo vobis datum fuisse. Itaque ubi rescivi vestram de ejus vocatione sententiam: istam admirabilem Dei Patris nostri coelestis providentiam cum stupore, & gaudio praedicaui, fingi ei continuo auctor, ut deo se isthuc vocanti responderet, alijsq; consilijs repudiatis, quae iam intenderat: isthuc nunc redierat modo, redendum cogitaret. Res una est quae nos retardat: nempè quod Tremetij Epistolam Erasmus expectat. Ea mora longa non erit. Jam enim huc se appulerunt, qui se cum Tabellario nostro in viam dederant, quum Heidelbergam egredere vellent. Factum bene, quod illis Litteris Doctoris Heidelbergensis, quas nuntius affert, vestra sollemnis vocatio antecessit. Ego qui isti Ecclesiae, & Reip. multum debeo, non desinam pro vobis niti: persuasus sum enim quocunque in loco Senatus vester Venerandus ipsius opera uti velit, neq; doctiorem virum facili inueniri posse, neq; modestiorem. Deus & Pater DOMINI nostri IESU CHRISTI, à quo pendemus, ad quem respicimus, cui supplicamus, qui vobis in mentem indidit ut Erasmus Johannis isthuc reuocaretis: de vobis, quod prope diem daturum confido, ut ad salutem multorum eodem utamini, fruamini. cum amplificatione gloriae CHRISTI, Fiat. Vale. Dic ex me salutem clarissimo viro Pn. Cons. Metmano aequali meo, & Syndico vestro M. Gerardo Gersen veteri amico. Bremae Nonis Septembris 1. 5. 46. Vestri semper studiosissimus

Juvenum Custos

Johannes Molanus.